



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

20 Vtrum peccata contra præcepta primæ tabule, sint grauiora peccatis,
quæ sunt contra præcepta secundæ tabulæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

tura: secundo quid sit præceptum & quid consilium, quibus manifestatis, euidenter apparebit quod queritur. De primo ergo sciendum est, quod secundum Philosophum in 5. Meta. Prius & posterius dicuntur in quolibet ordine per comparationem ad principium illius ordinis, sicut in loco per comparationem ad principium loci, in disciplinis per comparationem ad principium disciplinae. Sic ergo & in ordine naturæ dicitur aliquid esse prius per comparationem ad naturæ principia, quæ quidem sunt quatuor causæ. Unde secundum unumquodque genus causæ, prius in ordine naturæ est, quod propinquius est causæ. Quamuis autem causæ sint quatuor, tres tamen earum, scilicet efficiens, formalis, & finalis concurrunt in idem, unde relinquuntur quod ordo naturæ sit duplex. Vnus quidem secundum rationem causæ materialis, secundum quod imperfectum est prius perfectio, & potentia actu. Alius autem ordine naturæ est secundum rationem aliarum trium causarum, secundum quam perfectum est prius imperfecto, & actus potentia. Unde & Philosopho dicit in 5. Meta. quod alia sunt potentate priora, alia perfectione: & quia forma est magis natura quam materia, ut probatur in 2. Physi. convenientius dicitur esse prius natura actus, qui est prior substantia & specie, ut dicitur in 1. Meta. quam potentia, quæ in uno & eodem est prior generatione & tempore. Unde & Philosopho dicit in 2. periermenias, quod in his quæ contingit esse actu & potentate, ea quæ sunt actu, sunt natura priora & posteriora.

Circa secundum vero, scilicet circa rationem consilij & præcepti, considerandum est, quod præceptum importat rationem debiti, debiti autem aliquid est dupliciter. Vno modo secundum se, & hoc modo finis est debitus in unoquoque negotio. Medicus, propter se debet querere sanitatem. Alio modo est aliquid debitum propter aliud, scilicet sine quo non potest peruenire ad finem, sicut medicus debet indicare dietam infirmo, sine qua non potest sanari. Illud vero quod ordinatur in finem, ut melius, aut facilius ad finem consequatur, si sine hoc aliquo modo possit haberi finis, non habet rationem debiti. Finis autem spiritualis, qui lege diuina ordinatur, est duplex. Vnus quidem principalis, scilicet adhaerere Deo per charitatem, unde dicitur 1. ad Thim. 1. Finis præcepti est charitas. Alius autem finis secundarius quasi dispositiuus, scilicet puritas & rectitudo cordis, quæ consistit in interioribus actibus aliarum virtutum. Unde Apostolus dicit ad Rom. 6. Habetis fructum vestrum in sanctificatione. Sicut etiam in generatione naturali finis est, & ipsa forma substantialis, & vltima dispositio ad formam. Unde manifestum est, quod principalia præcepta diuina sunt quidem de dilectione Dei & proximi, ut patet Matth. 22. Secunda vero de interiori sanctificatione, secundum illud 1. ad Thim. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Omnia vero alia quæ sunt spiritualis vitæ, ordinantur ad prædicta sicut in finem, sed dupliciter. Quædam enim sunt naturalia, sine quibus prædicti fines esse non possunt, & hæc cadunt sub præcepto, sicut, Non habebis deos alienos, Non furtum facies, &c. Quædam autem sunt, sine quibus ad prædictos fines perueniri potest, unde non cadunt sub præcepto: sed quia per huiusmodi facilius & melius peruenitur ad fines prædictos, dantur de eis consilia, sicut patet de paupertate, virginitate, & alijs huiusmodi: & est simile, si aliquis deberet ex præcepto esse Romanæ certo die, teneretur etiam ex debito præcepti Romanæ ire, non autem teneretur ex præcepto ire eques, quia sine hoc posset Romanæ peruenire, tamē

Faderet hoc sub consilio, in quantum equitando facilius & melius perueniret ad finem. His ergo visis patet de facili id quod querebatur. Si enim comparemus consilia ad præcepta finalia, quæ sunt de dilectione Dei & proximi, de interiori cordis puritate, manifestum est quod præcepta sunt priora consilijs naturaliter ordine perfectionis, sicut naturaliter prior est potentia & finis his quæ sunt ad finem: sed consilia erant priora naturaliter ordine generationis & temporis, in quantum sunt per consilia ad puritatem perfectam cordis, & perfectam dilectionem Dei & proximi peruenimus. Si autem comparemus consilia ad alia præcepta que ordinantur ex necessitate in prædictos fines, sic erit duplex consideratio. Nam in consilijs necesse est veniendatur præcepta. Qui enim omnia dimittit, non capit aliena: & qui virginitatem seruauit, non mechatur: sicut etiam qui equitat, vadit, sed non conuertitur. Erit ergo vna comparatio consiliorum ad præcepta absolute considerata, & sic hoc modo præcepta erunt ordine naturæ priora consilijs, sicut genus est naturaliter prius specie. Consilia autem e conuerso priora naturaliter præceptis, sicut species sunt priores secundum naturam quam genera, ut patet per Philosopho in 1. Physi. comparatur enim genus ad speciem sicut potentia ad actum. Præcepta autem absolute sumpta se habent per modum generis ad obseruandam præceptorum cum consilijs, & sine consilijs sicut non mechatur ad non mechatur cum virginitate, & ad non mechatur cum in trimonio: & ire commune est ad ire equitem, & ad ire peditem. Alia vero comparatio est consiliorum ad præcepta sine consilijs obseruata, sicut si comparemus eum in equo ad eum qui vadit pedibus. Similis enim est comparatio virginis, seu continentis ad matrimonium, & pauperis propter Christum ad eum, qui in seculo suis contentus est, & sic simpliciter ordine naturæ consilia sunt priora præceptis, tamquam perfecta imperfectis: nec oportet quod præcepta sic accepta præcedant naturaliter ordine generationis & temporis consilia. Non enim oportet quod ille qui vult continentiam, uel uirginitatem seruare, prius matrimonio iungatur: neque etiam oportet quod ille qui vult esse pauper propter Christum, prius seculum emittat, in qua suis diuitijs sit contentus sicut etiam non oportet quod ille qui vult ire eques Romanæ, prius vadat pedes, & postea eques, sed melius est si a principio eques vadat.

Et per hoc patet responsio ad obiectionem.

ARTICVLVS XX.

Utrum peccata contra præcepta secundæ tabule sint grauiora peccatis quæ sunt contra præcepta primæ tabule.

K AD SECUNDVM sic proceditur. Videtur quod peccata quæ sunt contra præcepta secundæ tabule sint grauiora peccatis quæ sunt contra præcepta primæ tabule. Peccatum enim contra præcepta secundæ tabule est contemptio bono incommutabili commutabili bono adherere, sicut patet in furto, & adulterio, & alijs huiusmodi: sed contemptio incommutabilis boni est peccatum contra præcepta primæ tabule, quibus ordinatur ad adhibendam reuerentiam Deo. ergo peccata quæ sunt contra præcepta secundæ tabule, includunt peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabule, & aliquid addunt, ergo sunt grauiora.

¶ Præterea.

Text. c. 16.

Text. c. 16.

Text. c. 12.

Text. c. 12.

¶ Præterea. Simonia est maximum peccatum: sed simonia cum sit species auaritia, est contra præcepta secundæ tabulæ. ergo peccata, quæ sunt contra præcepta secundæ tabulæ, sunt grauiora.

SED CONTRA est, quod peccata contra præcepta primæ tabulæ, sunt infidelitas, desperatio, & alia huiusmodi, quæ sunt grauiissima peccata. ergo peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ, sunt grauiora.

23. q. 75. ar. 2. ad 2. & ar. 5. c. & 22. q. 10. ar. 2. c. 22. q. 34. ar. 2.

RESPON. Dicendum, quod formalis ratio peccati mortalis consistit in auersione a Deo. Si enim esset inordinata conuersio ad bonum commutabile sine auersione a Deo, non esset peccatum mortale: præcepta autem primæ tabulæ secundum se ordinant directe hominem in Deum, unde dicuntur ad dilectionem Dei pertinere. Et ideo peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ, directe & secundum se important auersionem a Deo: peccata autem, quæ sunt contra præcepta secundæ tabulæ, per se quidem deordinant nos principaliter circa bona commutabilia, circa quæ ordinamur per præcepta secundæ tabulæ, ex consequenti autem deordinant nos a Deo. In vnoquoque autem genere potissimum est id, quod est per se: unde peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ, secundum suum genus, sunt grauiissima in genere peccatorum.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod contemptus Dei per se intentus est in peccatis, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ, sic autem non ex necessitate includitur in peccatis, quæ sunt contra præcepta secundæ tabulæ. Non enim ille, qui fornicatur, intendit hoc agere in contemptum Dei, sed intendit principaliter delectari, ad quod consequitur, quod Deum contemnat, præter principalem intentionem mandata eius transgrediens.

AD SECUNDUM dicendum, quod simonia non est maximum peccatum simpliciter, sed maximum inter illa quæ committuntur circa contractus pecuniariorum, & hoc etiam est ex hoc, quod irreuerenter se habet homo ad res sacras, in quo attingit peccata, quæ sunt contra præcepta primæ tabulæ.

QUESTIO XI.

DEINDE quæsitum est de his, quæ pertinent specialiter ad quosdam hominum status.

- ¶ Et primo, De his, quæ pertinent ad prælatos.
- ¶ Secundo, De his, quæ pertinent ad doctores.
- ¶ Tertio, De his, quæ pertinent ad religiosos.
- ¶ Quarto, De pertinentibus ad clericos.

¶ Circa primum quæsitum sunt tria.

- ¶ Primo, Vtrum B. Mattheus vocatus sit statim a theloneo ad statum apostolatus, & perfectionis.
- ¶ Secundum, Vtrum ille, qui eligitur canonicè in episcopum, melius faciat consentiendo electioni de se factæ, vel eam recusando.
- ¶ Tertio, Vtrum prælatus, qui dat beneficiû ecclesiasticû alicui suo consanguineo speras per hoc suum genus exaltari, & ditari, committit simoniâ.

ARTICVLVS XXI.

Vtrum B. Mattheus fuerit vocatus statim de theloneo ad statum apostolatus & perfectionis.

ar. 1. argui. var.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur quod B. Mattheus non fuit vocatus statim de the-

loneo ad statum apostolatus & perfectionis. Dicit enim Gregorius super Ezechielem. Nemo repente fit summus: sed status apostolatus, & perfectionis euangelicæ est summus status humana vitæ. ergo Mattheus non fuit statim vocatus ad statum perfectionis, & apostolatus.

SED CONTRA est, quod Hieronymus dicit super Mattheum, quod de publicano repete fit apostolus. Et Beda dicit super Lucam, quod de publicano in apostolum, de theloneo in euangelistam mutatus est. Et quædam gl. dicit Luc. 5. Quod nullam prorsus cogitationem, vel respectum huius vitæ sibi reseruaui, quod est perfectionis euangelicæ, ergo statim vocatus est ad statum apostolatus, & perfectionis.

RESPON. Dicendum, quod quæstio ista ex verbis Euangelij determinari potest. Si enim loquamur de apostolatu, manifestum est secundum narrationem Matthei, Marci, & Luca, quod Dominus post vocationem Matthei aliquanto spatio temporis interiecto ex suis discipulis 12. apostolos eligit, inter quos vnus fuit Mattheus. Et sic patet quod statim a principio fuit vocatus ad discipulatum Christi, non autem ad apostolatum, nisi secundum præordinationem Christi, qui cum in apostolum sumendum disponebat: & secundum hoc intelligenda sunt verba Hieronymi, & Bedæ. Si autem loquamur de perfectione euangelica, sic manifestum est, quod statim a principio vocatus est ad statum perfectionis. Dicitur enim Lucæ 5. quod surgens relictis omnibus secutus est eum, quod etiam ad discipulatum Christi pertinebat, secundum illud quod dicitur Lucæ 14. Nisi quis renunciauerit omnibus his quæ possidet, non potest esse discipulus meus.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod summum in vita humana potest accipi dupliciter. Vno modo, secundum comparationem status ad statum, secundum quod in humana vita vnus status est maior alio, & aliquis est summus, & sic nihil prohibet aliquem fieri repente summum, id est, attingere ad statum summum. Et hoc apparet tam in spirituali, quam in seculari. Inueniuntur enim aliqui statim a pueritia ad statum religionis, qui est perfectissimus, conuolasse vel proprio arbitrio, sicut beatus Ioan. Baptista, & beatus Benedictus: vel etiam deuotione parentum, sicut illi qui monasterijs traduntur a parentibus. Sic non oportet vt aliquis seculari vita exerceatur antequam ad religionem transeat sicut non oportet quod aliquis exerceatur in laicali vita, antequam clericus fiat. Similiter etiam aliqui repente assumuntur ad regnû, vel ab ipsa pueritia, sicut Salomon & Iosias reges Iuda. vel etiam in ultimo statu, sicut Saul. Et Eccles. 6. dicitur, quod de carcere carnisq; interdum quis ad regnû progreditur. Alio modo, potest accipi summum per comparationem graduum, qui sunt perfectio vnus hominis. & sic intelligit Gregor quod nemo repente fit summus. Dicit enim Augustinus super canonicam Ioan. quod charitas non mox vt nascitur, perfecta est. Nam vt perficiatur, nascitur: cum fuerit nata, nutritur: cum fuerit nutrita, roboratur. cum fuerit roborata, perficitur. Contingit tamen quandoq; quod vnus homo repete incipit ab altiori gradu sanctitatis quam sit summum ad quod pertingit perfectio alterius hominis, ut patet de B. Benedicto, de quo Gregor. dicit in 2. dial. quod præsentis, & secuturi omnes agnoscant, Benedictus puer conuersationis gratiam a perfectione coepisse.

ARTI-